







Ʃ4

Joh. Trithemius, Insti-
tutio vite sacerdotalis,
1503.
Augsburg, Germany

Tritheim

[Trithemius, Johannes]

Inſtitutio vite ſacerdotalis.

Thomas Ruscher de gamundia sacrarũ litterarũ profes-
sor in ecclesia maguntinẽsi euangelici verbi indign⁹ pre-
dicator benefamato ⁊ katholico sacerdoti Nicolao mer-
nicensi salutẽ perpetuã ne ante illũ a quo omne datũ opti-
mum ⁊ omne donũ perfectũ in gracijs ferẽdis gelidus videar doctissi-
me nicolae. Occurrit in primis scriptura. Deutro. xxx. Vitam et
mortẽ dedi ante faciẽ tuam. Gracias habeo quia hodie huic etiã con-
donat: qui ei qui vera est vita adheret. Ei dico qui nuper meis tẽpori-
bus inspirauit in faciẽ cuiusdam spiraculũ vite noue pro quo gracias
omniũ reddo creatori. Et tibi o pater laudate intelligẽtie tritemij eo ꝙ
non solũ tibi ipsi vitã elegisti sed ⁊ meã multorumqȝ vt viuãt. Vitã in-
stituis tuo tam in florido institutionũ opusculo: quod mox ad me vsqȝ
latum esset: nec alijs locũ adhibens veluti vite spiraculũ egens mẽtis
affectu animiqȝ desiderio quousqȝ introspicerem. Sed quid o laudate
intelligentie pater. Quid per hoc tuũ institutionũ tam floridũ opuscu-
lum in me tibi deditissimo effeceris quidue hoc inter legendum sense-
rim meos coetaneos nec latitare velim. Nam cum ad interiora ipsius
procederem/ ita in me floruit vt meas maderet genas. O frater merni-
censis nicolae/ orationi ⁊ charitati iũctissime: q̃ȝ felix q̃ȝ sancta pro hoc
florido fuit opusculo petitio tua. O xp̄i sponse vir atqȝ fili mernicensis.
Nicolae ⁊ dei cõfessor/ q̃ȝ necessaria in hoc que ꝯtinentur opusculo po-
tissime in his tẽpestuosis sunt nũc tẽporibus. Ubi fides xp̄iana noxijs
erroribus qui passim seminant̃ ⁊ pullulãt lacerat̃ ⁊ opprimit̃ necessaria
dico supra modum. Nam florida sacerdotalis peregrinatio abiecta in-
stitutione omnia vicia ignominiaqȝ exurgũt. Scio namqȝ maiorũ no-
strorum traditione animã hominis intellectu rerumqȝ scientiã veluti
esca quadã nutriri: recte eorum animos arbitror qui nullis disciplinis:
nulla morũ aut vite institutione eruditi sunt nichilqȝ bonarũ arcium
hauserunt ieiunos ⁊ quasi famelicos esse plenos tamẽ ⁊ illorũ animos
sed vicijs ⁊ nequicia. Eya nicolae scito mihi meisqȝ per suasum velim
coetaneis ad hoc floridũ nos ad integrũ diuertere opusculũ. Nam per
hoc non solũ criminis vitare penã/ sed ⁊ laudationis possumus graciã
obtinere. Huic enim qui animi odoratũ nõ accomodat cito dabitur in
ruinã quapropter hoc ipsum ante primã litterarũ eius impressurã mi-
hi fructuosum esse non ignoras. Maxime dum per laudate intelligen-
cie patrem ⁊ dñm dñm Johannẽ tritemij. Spanhemensis abbatẽ nõ
minuto sudore ꝯgessit compilauit atqȝ tradit. Qui varia litterarũ gra
cia multo q̃ȝ ego sum habundantior est: qui vigil ingenio paratus elo-
quio flagrans studio ⁊ vtilis pater familias in domo dñi. Qui florido
eius opusculo sancte vite institutionem ministrãs/ ⁊ me infirmũ simul
omnẽ peritũ doctumqȝ clerũ erudit ad cautelã. Que certe vite institu-

tio o frater si nobis deest quis oro viuere nos iudicat. Nec eya Nicolae nobis si defuerit digni non sumus In hac namqz ad plenū queque nobis adeo sub ministrat Ut absqz his vita dignus nemo est. Nam si iuxta reuerēdi in dño patris nostri. Tritemij floridā institutionem que in manu est nosipsos quoad hic viuimus ad integrū statuerimus salus nobis vera veraciterqz promittitur que ꝛ nullis vnq̄z auferꝫ qui digni vita viuunt. Digni itaqz cūcti vt habeāt taliter iuxta in hoc florido opusculo traditur vitā instituere necesse habēt qua non moriantꝫ sed ꝑpetuo ampliꝰ viuant. Quod dignissime nicolae cōprehendere vt possis. Uale semper in eo qui vniuersa creauit / et nos qui viribus nostris stare nō possumus sua misericordia conseruet amen. Date in studio maguntinēsi Anno salutis nostre. Millesimo quadringentesimononagesimo quarto mensis octobris Die vero eiusdē. xxij.

Johānis Tritemij abbatis Spanhemēsis ordinis diui patris Benedicti: de vita sacerdotū ad nicolaū Mernicensem presbiterū tractatus exordiū sumit. ¶ Capitulū primū.

Petis a me nicolae frater amātissime: ꝛ crebris epistolis instas vt tibi formam in sacerdotio laudabiliter viuendi stilo cōmendem. Supra vires ingenij me laborare cōpellis: morsibusqz emulorū lacerādum exponis: qui me ex hoc presumptuosum iudicabūt ꝙ viam quam ipse nec dum ambulare didici tibi velim demōstrare. Et quāq̄z se res ita habeat malo tñ emulationis subire iudiciū: q̄z charitatis in te mee ferre detrimentū Tanta enim dilectione te semper colui: vt negare tibi quippiam postulāti nunq̄z ↄsueuerim. Cupiēs itaqz satisfacere ꝑcibus tuis: normā viuendi et scriptis sanctorū tibi cōmendare volui / non ꝙ statui tuo prorsus ex omni parte sufficiat sed pro qualicunqz principio ad honestā conuersationē te si velis inducat In primis itaqz te moneo ex diffinitione nominis statū pensare indicte ↄuersationis. Etenim dicimur clerici: quotquot in sortē dñi sumus specialiter electi. Interpretemur itaqz vocabulū nominis / ꝛ intelligemus qualitatē precepte honestatis. Cleros eteni grece sors iuterpretaꝫ latine A cleros ergo clerici in dñi sortē dicunꝫ electi. Si nos igiꝫ in dei sortē vocatos agnoscimꝰ cur adhuc mūdo militamꝰ? Ad quid in terra morientiū hereditatē querimꝰ qui deū se nobis pollicentē hereditatē expectamꝰ? In veteri nāqz testamēto legimus dñm sacerdotibus ꝛ leuitis ꝑcepisse / ne inter filios israel fratres suos acciperēt hereditatem eo ꝙ ipse hereditas esset eorum. Nunc ergo si esse te clericū existimas debes a ceteris hominibus excellentia conuersationis honestior incedere et mūdi huius peri-

turas diuicias minime amare. Quod si animum tuum seculi heredi-tati submiseris extra sorte dñi cum insipiētibus colloceris. Non enim dignabit te dñs inter electos suos recipere si post aurū abiēs mundū decreueris amare Turpissima est in sacerdotibus xpi auaricia que ser-uum dei ministrū facit ydolorum. Hec si animū tuū semel ceperit nun-q̄ȝ sui conpotē amplius dimittit Nemo enim potest duobus dominis dissentientibus seruire. Non potestis inquit deo seruire et manmo-ne. Non poteris bonus esse clericus si fueris auarus. Scio aūt ꝛ lon-ga experientia tecū conuersando didici quoniā natura parcū te genuit caue ne donū gratie ad fomēta cōuertas auaricie. Enimuero qui volūt diuites fieri ī hoc seculo frequēter tēptationes incidūt diaboli. Opor-tet autē ministrū dei segregatū esse a sollicitudine mūdi quia nō potest ad deum ire mens libera si terrenis curis fuerit implicata Hinc coro-nas rasas portamus in capite quatenus abiectis superfluitatibus li-bere ad deū ascensum paremus in cogitatione. Crines namq̄ȝ capitis superfluitates terrene designāt actionis. Et sicut exsupfluitate humo-ris crines capitis proueniūt sic ex amore pecunie sollicitudines mundi crescunt. Cum ergo crines capitis in modū corone abradimus moue-mnr vt ministerio dei applicati omnes curas mundi contēnamus. Si-cut autē caput pars est eminētior corporis ita mēs vis supma rationis Idcirco autē coronā gestamus in capite vt terrenis curis absoluti ad dei contēplationem liberius eleuemur in mēte. Unde ꝛ nos claustra-les qui monachi dicimur coronis amplissimis ornati crines pauciores in capite relinquimus vt nos actiue vite mortuos in contēplatione ce-lestium vacare per amplius ostendamus. Attende nūc diffinitionem nominis ꝛ cura cōdignis vite meritis sorti respondere superni condi-toris. Omni custodia serua cor tuū ne te in profundū auaricie demer-gat cupiditas ne libidinis ardor animū tuum cū peccatoribus in cenū luxurie de trabat ne superbie fastus te ad inferos sine fine cruciandum secum trahat Caue ne per huius mundi curas a sorte dei decidas caue ne famā boni nominis perdas caue ne in via contēptorum dei pergas Ruinas multoꝝ in circuitu sacerdotū cōsidera ꝛ de tuo semper peri-culo simili formida. Nusq̄ȝ inter mortales securius viuit q̄ȝ si periculū semper timeat. Unde scriptū est Beatus homo qui semper est paui-dus qui aūt mētis est dure corruet in malū. Enimuero periculū qui ti-met cauet qui negligit incidit. Oportet ministrū christi sacerdotē dei virum esse non puerū vt sciat ꝛ intelligat quale onus susceperit pro cu-ius administratiōe in districto dei iudicio sit redditurus rationē. Sit ergo prudēs: sobrius: castus: ꝛ quietus sit pudicus. benignus: māsue-tus: vt qui plebis indocte preceptor cōstituitur nullum de suo conuer-satione ꝯtenmptū paciatur. Sacerdoti est interrogatū respondere de

lege/vicia subditoꝝ per verba sancte predicatiōis ꝯstanter arguere/ꝛ nulla pro veritatis amore aduersa formidare. Oportet eū qui sacerdocio in populo dei fungit/virū doctū esse in lege diuina vt sciat in tēpore noua ꝓferre ꝛ vetera/ne inter canes mutos non valētes latrare/officij sui perdat dignitatē. Tuū nunc est o Nicolae/alioꝝ vicia sedula monitione arguere/ꝛ vicijs alienū te exhibere/ne si viciosus crimina arguas temetipsum damnandū reddas Nemo enim in alio ꝯfidenter potest reprehēdere/quod se ꝯscientia teste meminerit cōmisisse. Oportet ergo illū esse irreprehensibilē/qui alioꝝ peccata sedet iudicare quia qui in se ꝯmittit quid in alijs arguit/nō emēdat sed prouocat Sed multi hodie sacerdotes hypocritis similes inueniunt qui delinquētibus in leuioribꝰ fratribꝰ irascunt/ꝛ sibi nolūt a quoq̄ꝫ indignari. Misera humane fragilitatis ꝯditio/peccatorē peccator condēpnat: ꝛ disparē fert in pari crimine sententiā. Mentior si nō multociēs proximū suū de fornicatione arguit adulter/pauca in alio vicia ꝯdempnat iudex in multis viciosus ꝛ vt suā prauitatē occultare valeat omniū delicta manifestat. Cōtra quē a dño dicit Hypocrita eijce primū quē gestas trabē in oculo ꝓprio ꝛ sic festucā videas in alieno. Quid furē reprehēdit sacrilegꝰ viciosum sceleratus cur arguit? Infructuosa prorsus omnis erit correctio quam vite cōmaculat equalis turpitudo. Ut igitur careas hypocritarū opprobrio/caue alteriꝰ corrector in simili delinquere peccato. Nunq̄ꝫ fiet vtilis correctio in subditis/dum is qui preest publicis submittit colla peccatis. Enimuero ius correctionis amittitur: quando correctionis cōuersatio subditoꝝ vicijs inquinat. Sacerdocij vilescit auctoritas/si honestatē ꝯuersationis publica corrūpit iniquitas Omnis igitur correctio in suo auctore sumat exordiū/ꝛ sic demū secura procedat in publicum. Suspendat correptiōis ad tēpus sententiā/quē in crimine simili ꝯscientia propria remordet Corruptus iam est vt plurimū status credentiū/ꝛ est sicut populus sic quoqꝫ sacerdos/omnis auaricie studēt a maiore vsqꝫ ad infimū. Ue genti peccatrici/que semꝑ ad grauiora prolabitur/dum pari delicto noxios suos iudices intuet Ad tantā nūc miseriam deuenit auctoritas ecclesiastica/vt sacerdotū verba iubeamur amplecti nō facta. Dicunt enim de semetipsis infelices presbiteri/inquinatiōis sue testimoniū perhibētes. Erudicionis nostre verba vos o xp̄i fideles attendite/exempla cauete. O verba confusione sempiterna dignissima/ que quantū ex doctrina erudire populū dei debuerant tantum ex operibus peruersis scandalisant. Indocti rudes iam sine discretione meriti ad sacerdotiū veniunt/qui moribus suis pessimis xp̄iones infeliciter occidūt. Nulla iam in ordinādis clericis vite sanctitas reperitur/litterarū eruditio nulla postulatur/consciētie puritas nō attenditur Sufficit apud eos si currentē sortē possint cōstruere si cuius

partis oratõis sit dñs respondere si ita ⁊ nõ intelligere. Ue nostre tem‑
pestatis episcopis: qui secularibus negocijs intẽti/ordinationes cleri‑
corum non ꝯsiderant sed curã examinãdi imperitis locãt/ q̃ȝ districtã
sunt subituri sententiam/qui se totius in ecclesia mali exhibẽt causam.
Enimuero cum oporteat sacerdotẽ fideliũ doctũ esse ⁊ sanctum qua te‑
meritate imperiti ad sacerdocium veniunt/qui nec se nec alios erudi‑
re possunt. Neqȝ enim sine doctrina: bona in clerico vita sufficit/ neqȝ
doctrina sine vita populuȝ salubriter erudit. Nam doctrina sine mori‑
bus doctoreȝ ꝑimit vita sine doctrina inutilẽ facit Latratu siquidẽ ca‑
num: ⁊ baculo pastoris/⁊ rabies luporũ fuganda est. Pastor itaqȝ ec‑
clesiiasticus per vitã bonam ouibus suis exemplũ iusticie prebeat/per
salutarem doctrinã mẽtes auditoꝝ pascat/ne si vnum sine altero faciat
vel se negligat/vel gregis curã infructuose agat Heu quid dicam de
sacerdotibus nostris indoctis/⁊ viciosis auaris luxuriosis ⁊ pessimis?
Pudet me loqui ⁊ silere nõ valeo Prospice tibi nicolae charissime ne
imitator eorũ fias/qui contẽptis codicibus scripturarũ ludis ⁊ potati
onibus diem totũ vacãt/qui se mulierũ conmixtionibus maculãt/ qui
prauis suis moribus/multos in lege dei scãdalisant. Esto in populo dei
honestatis exemplar in omnibus quantũ fieri potest te irreprehensi‑
bilem exhibeas/vt omnẽ de te male suspitiõis occasionẽ tollas. Opor‑
tet enim testimoniũ haberi etiã ab his qui foris sunt qua predicantis
sermo facile cõtempnitur/cuius vita malis suspitiõibus in populo no‑
tatur. Teipsum itaqȝ bonorũ operum clericoꝝ exhibeas/quatenus po‑
pulum dei nõ minus exemplo q̃ȝ sermone informare queas. Quod vt
salubriter possis perficere/ꝯsorcia indisciplinatorũ cura declinare/quia
vix sine reprehensione viuere sufficit/qui malorũ ꝯsorcia nõ fugit. Di‑
cit enim scriptura Cum sancto sanctus eris/⁊ cũ peruerso peruerteris
Et iterum Qui tãgit picẽ/inquinabiẗ ab ea Unusquisqȝ propositi sui
delectatur habere consortes Si igiẗ bonus es/bonorũ ama cõsortium
Nam si pedẽ tuum a ꝯuentu malignantiũ nõ prohibueris: subditorũ
detractionibus omni tẽpore subiacebis Facile decipiẗ iuuenilis ani‑
mus cõsortio peruersoꝝ Juuenis es/⁊ in vtrãqȝ partẽ flexibilis. Id‑
circo summa cum diligentia inuigilandũ est/ne indisciplinatoꝝ consor‑
cio deprauueris Nichil enim sic iuuenibus nocet/quemadmodũ praua
exempla senioꝝ Quanto vero iunior es/tanto tibi maiori sollicitudine
curandũ est/vt vitam tuã in sinceritate timoris dñi custodias: Scrip‑
tum est enim Adolescens iuxta viam suam gradiẗ etiã cum senuerit nõ
recedet ab ea. Quod iuuenis didiceris/in senectute practicabis. ⁊c.

De fugiẽdo ꝯsortio mulierũ. Capitulũ secundũ.

De feminarũ aũt familiaritate (que sacerdotibus dei pniciosissima est) quid dicam: cũ decreta sanctoꝝ patrũ hanc illis districta satis prohibitione interdicãt. Si tibi beatissimi patris hieronimi monita prescripsero illico exclamabis Domũ gubernare sine ministerio famule non valeo/cibos michimetipsi parare nõ sufficio/mundare vestes sordidas nolo Quid inquis michi pcepta hieronimi allegas: que non ligant nisi valentẽ? Quis hieronimũ legislatorem meum ꝯstituit Sacrosãcta inquã ecclesia vniuersalis dicta illius approbat Inter canones precepta eius de hac materia lata locat/ꝛ tu contra tantã auctoritatem mutire presumis? Sed dices Legẽ hanc abrogauit ꝯsuetudo contraria/que pro iure ex multo tẽpore est habẽda Sed mentit iniquitas sibi/ꝛ stulta cõsideratione in semetipsa decipit. Consuetudo bonis moribus ꝯtraria/nunq̃ꝫ legem aut tollere aut cõstituere potest Et quid tam contrarium honestati sacerdotali q̃ꝫ adolescentularũ contubernio delectari? Periclitat castitas/vbi inter mulierculas sacerdotũ trãsit societas Prima enim ꝛ fortissima clericoꝝ temptamenta/ex frequẽti accessu mulierũ proueniunt Multos prostrauit stulta presumptio/qui manibus (vt ita dixerim) instrumenta victorie hostibus tradiderunt Difficillime vitatur periculũ/si occasio non vitetur Enimuero dũ femina morat cum clerico/solaqꝫ residet cũ solo cibos comedẽti preparat lectulumqꝫ dormienti cõponit/alloquit arridet fomenta libidinis administrat Quantũlibet sancta sit femina/semper clerico est timenda. Nam sicut scintille de carbonibus prosiliunt/ita virus concupiscencie ex mulierum assidua familiaritate diffundit Janua diaboli/porta inferni vis iniquitatis scorpionisqꝫ dira percussio/ꝛ nociuũ genus fallendi/viro casto familiaris est femina Cum proximat stimulat/cũ loquitur incendit/cũ tangit vehemẽter exurit Non damnamus sexum/sed castitatis denunctiamus periculũ Legimus sanctũ augustinum tantope fugisse feminas/vt domũ suam episcpalẽ/nec sororem propriam ingredi permitteret Nouimus ꝛ nos q̃ꝫ plures sacerdotes/qui ꝛ domũ ꝛ plebem sibi cõmissam sine ministerio famule multis annis innocue gubernarunt Neqꝫ enim tibi difficile erit imitari/qnod alios conspicis actitasse. Caue itaqꝫ: ꝛ cõsortio adolescentularũ ne appropies/cũ etiam inter anus caste viuere difficile sit Memẽto cũ quo loquaris in altari et os diuinis ministerijs consecratũ/ne effundas in oscula meretricuꝫ Turpissimũ est manibus sancte vnctionis oleo cõsecratis: quibus dei filius tenetur ꝛ immolat/tactibus pollutis contingere mulierem Ne dederis maculam glorie tue/ꝛ nomẽ tuũ cũctis in opprobriuꝫ Te cũcti in publico/te in agro rustici aratores/et vinitores/quottidie fortiter lacerabũt/si cũ feminis (maxime inmoribus) iuuenis ipse habitare presumpseris Eris in prouerbiũ ꝛ derisum omni populo/si iuuencularum

domicilia freque͂ter fueris ingressus. Contra hostem tuum inuisibile͂: qui latus tuu͂ semp insidia͂do circu͂uolat/ omni tpe vigila/ et iuxta nasonem/ maloꝝ principijs obsta/ qua͂do adhuc infirmiora sunt te͂ptamenta. Nam sicut videmus postea q̄ clericus semel corpus suum amplexibus meretricu͂ exhibuerit/ raro vel nunq̄ ad perfecta͂ eme͂dationem redit. Omnis enim qui peruerso amore vexant quanto diutius in sceno luxurie iacuerint/ tanto difficilius ad sanitate͂ me͂tis reuertunt. Figit in corde humano radices viciu͂ fortiter inueteratum. O quot hodie sacerdotes in dei ecclesia sunt/ qui in pfundu͂ luxurie submersi longanimitatem dei ꝯtempnunt: sicut scriptu͂ est Impius cu͂ venerit in pfundum maloꝝ conte͂nit. Multi sunt no͂ dubiu͂ inter clericos libidine sordidatos: qui cu͂ a principio sue promotionis caste viuere pposuerunt/ ex neglige͂ti sensuu͂ custodia decepti/ nunc sine omni timore dei/ quasi lice͂ter ex co͂suetudine meretricibus ꝯmiscent. Nichil peccati co͂suetudine deterius: qua fit/ vt crimina grauissima velut minima estiment. Fortissimu͂ peccati vinculu͂ est consuetudo pecca͂di/ que te͂pore crescit ⁊ mora viriu͂ sumit increme͂ta. Optime igit aduersus ince͂dia carnis co͂suluit qui in carmine dixit Principijs obsta sero medicina paratur/ du͂ mala per longas/ co͂ualuere moras. Sed propera: nec te ve͂turas differ in horas qui non est hodie/ cras minus aptus erit. Non tardes ꝯuerti ad dn͂m ait scriptura nec differas de die in diem/ quonia͂ qua͂to penitentia͂ diutius distuleris/ ta͂to minus aptus ad penitendu͂ eris. Asce͂de nunc mentis tue specula͂/ ⁊ vide stultoꝝ insania͂ sacerdotu͂/ qui a vilibus co͂cubinis ducunt captiui/ vt non quecunq̄ volunt illa faciant sed que sibi a scortis precipiunt. Videres interea stolidu͂ clericu͂ assidere co͂cubine sue/ ⁊ aperto illam ore intuente͂ ⁊ si arriserit ei ridet / si fuerit indignata blandit ei/ donec reconciliet in gratia͂. Captiuus ducit per feminam infelix sacerdos/ ⁊ qui alios regere debuerat / ancille sue dominio superat. O quis crederet qua͂tos inter hec miser gemitꝰ emittat/ quocie͂s hoc durissimu͂ archidiaboli iugu͂ abijcere cogitet/ quales in corde suo dolores portet? Interdu͂ deniq̄ tanta co͂tra bestiam suam displicentia tangit vt eam a se repellere crastino meditet. Interea dat verba contumeliosa ⁊ recipit demu͂q̄ post verba venit ad verbera/ pcutit ⁊ repercutit maledicit ⁊ blasphemat. O stupendu͂ spectaculu͂/ caput sacerdotis quod ꝯtingere no͂ licet principi/ manus meretricis lacerant percutiunt ⁊ ꝯtundunt. Demu͂ post maledicta et verbera ad fletum se femina vertit lachrimas diabolo infundente emittit / quousq̄ tande͂ ad misericordia͂ captiuum in felice͂ reuocet/ sibiq̄ placabile͂ reddat. Cerneres nunc mutatum subito clericum / ⁊ lachrimis abre sue adeo co͂motum/ vt qui iniuriam susceperat prior venia͂ deprecet. Mensa dehinc apponit ꝯuiuium instaurat/ verbis miscent suspiria nouaru͂

cōmercia tractant nuptiarū. Sedet inter hec stolidus sacerdos/ de pa: tientia ꝛ māsuetudine disputās/ se in amicā deliquisse suspirat / ad eius graciā recuperandā totis viribus laborat. Quid post renouatā gerat amiciciam tibi cogitare poci⁹ licebit q̄ȝ mihi loqui. Non est timor dei ante oculos sacerdotis/ vinculis ꝯcubine ligati/ de penis inferni pauor null⁹/ nulla sacerdotalis cogitatio dignitatꝭ/ nulla memoria publice honestatis Adeo viciū hoc incontinencie in clero iam preualuit vt quasi ceperit esse licitū quia publicū est miserāda generis humani conditio qui alioꝛum scelera debuerant emēdare: grauioꝛa cōmittunt. Sedent proch pudoꝛ in villis ꝛ vrbibus publice sacerdotes/ concubinarū suarum cōmixtione diffamati/ quoꝛū tantus hodie inuenit numerus/ vt si presul aliquis in sola sua diocesi tales voluerit coꝛrigere/ sola multitudine victus a proposito terret. Si cuiuspiā ex talibus domū ingredereris/ offenderes aliquotiēs sacerdotē suum infantulum/ foꝛnicationis paterne testem brachijs baiulantē ꝛ inter legendum hoꝛas canonicas ploꝛantē/ consolari verbis ꝛ cāticis. Videres quoqȝ surgentē de lecto patrem infaustū natū excipere genibus/ osculisqȝ poꝛrectis/ illū in dextro genu locatū/ in sinistro breuiariū. Inter oꝛandū ridēti infantulo arridet ploꝛāti blandit / crebris tacentē verbis affat ꝛ nutibus. Interea blanda mater occurrit/ de manu patris dulce pign⁹ codicē rapit/ folia tractat: lacerat: fluētibusqȝ ex oꝛe saliuis genitoꝛis permissu cōmaculat Nulla inter hec oꝛanti deuotio nulla verbis adhibet intentio: sed omnis sollicitudo in ꝯsolatione ploꝛantis cōsumitur. Cadunt verba ex oꝛe oꝛantis cōfusa crebrisqȝ infantuli osculis interrupta adeo vt oꝛatione completa vix se meminerit oꝛasse. Interea nolā trahit edituus / ad sacrificandū altare componit a populo in ecclesia heros expectatur. Accurrit lotis manibus in lotione pueri sacerdos/ vestes sacratas quanta potest festinatione induit/ sacrificiū dei distracta mente cōsumit. O cōsciētia vbi interim manes: ꝛ vbi contēpta iaces? O tu miser: qui dei filium pollutis manibus cōtrectas quousqȝ animā tuā vlneras laceras ꝛ interimis? Qua deniqȝ temeritate accedis ad altare coꝛpoꝛe ꝛ animo pollutus? Nisi dei omnipotētis magna miseratio ad tēpus tibi parceret te in altari angeli prouocati / indigatione graui percuterēt. Ubi est votum castitatis perpetue quod in manus episcopi (cum te oꝛdinaret) promisisti? Ubi est sacerdotij tui assumpti reuerēcia? Peccasti: quare non agis penitentiā? Quousqȝ longanimitatē dei contēpnis? An ignoꝛas: ꝙ patientia dei ad penitentiā te adducit? Tu autē secundū duriciam tuā ꝛ coꝛ impenitēs: thesaurizas tibi iram in die ire/ ꝛ iusti iudicij ihesu xp̄i. Puto quidē in futurum penitere cogitas/ sed q̄ȝ sit proxima penitētie amputatrix moꝛs minime pēsas. Enimuero misericoꝛs deus qui veniā hoc penitēti promisit/ differenti diem crastinū non spopon-

dit. Clericum aũt quẽ femina cohabitans semel captiuũ abduxerit/nũqȝ aut raro liberũ/nisi morte interueniẽte dimittit: Transeo quod multi concubinarũ suarũ dolis ⁊ maleficijs/vsqȝadeo plerunqȝ dementantur/vt se ab illarum turpissimo amore nequaquã possint excuttere Horret auditus facinora meretricum nec pudicicie sinceritas audire patitur qualia per sacerdotũ cõcubinas quandoqȝ perpetrant. Ex katamenio pulmentũ dñis suis conficiũt/et dum eos ad amorẽ suum cupiunt allicere in colicam et insaniam cõuertũt Horrendis maleficijs et superstitionibus suis cõcupiscentijs sacerdotes implicãt/donec exhaustis paulatim viribus/eos penitus inutiles reddãt. Beatus homo quẽ deus a muliere mala ⁊ luxuriosa custodiuit Non est iniquitas super malicia mulieris/que malis amoribus fruit. Quicquid excogitat/temptat quicquid potest audet Nemo credit quibus studijs vijs ⁊ adinuentionibus vtitur vt eum quẽ decipere cogitat/suis voluptatib⁹ indissolubili vinculo ꝑternat. Ad vota se dño suo coniungit non quia diligit: sed quia cupit. Concubinarũ etenim turba predã sequit non sacerdotem. Quousqȝ diues est omnibus abundat latus dñi nõ deserit/si autem pane indigere ceperit/cõcubina ad alium se cõuertit. Interdũ vero natorum intuitu/sacerdos ⁊ cõcubina vsqȝ adeo cõglutinati sunt/vt separari ab inuicẽ (nisi per mortẽ) nulla ratione possint Fieri etiam solet/vt prebendas suas nõnulli malint dimittere/qȝ ꝯcubinas Quid primo preceptori tuo contigerit non ignoras? Is seuo meretricis illius amore quã nouisti miserrime seductus/cũ propter metũ viri cohabitare ei publice nõ auderet/patriã domũ cognatos/ac que habebat beneficia cõtemnens/vt illa frui libere posset/cum ea clam fugiens discessit. Et nemo quo abierit/vsqȝ in hodiernũ diem nouit. Scio quendam ex concubinarijs sacerdotẽ/quẽ cum pro suo peccato inter me et ipsum aliquando increparem/ad hoc finaliter induxi/vt continentiam deinceps perpetuam in manus meas vellet promittere Cumqȝ vrgerẽ vt mox concubinã eijceret/respõdebat. Non possum. Quare inquam Si eam inquit abicerẽ quis infantulorũ meoꝝ curam gereret? Habebat enim ex ea iam duos pueros. Pauper aiebat pro mercede locare illos non valeo. Matrem itaqȝ donec infantuli crescant nõ eijciam/ne reus sanguinis fiam. Castus tamen ero cũ casta nec vlla deinceps commixtione illi sociabor. Et quid facies inquam: si prius ꝙ̃ isti creuerint: alij in locũ eorum surrexerint? Iurauit se id velle cauere ne fieret. Non emendabis niquio culpam nisi eieceris cõcubinã. Difficile est assueta relinquere/⁊ a pristinis vicijs presente occasione abstinere. Nemo serpentem fouebit in sinu illesus. Abijt homo in domũ suã/et domestica scelera usqȝ in hunc diem non deseruit. Consideraui opera dei: quoniã quem ille despexerit nemo potest emẽdare. Adeo difficile est sacerdotẽ

semel in fornicationē lapsum/ad castitatē veram posse resurgere: vt ex omnibus vnū vix queas inuenire. Nam iuxta scripturam. Qui facit peccatum/ seruus est peccati. Et qui turpi amore semel subijcit/ vix vnq̄ʒ ex toto liberat. Facilius enī fornicatio fugit/ quā emēdetur. Idcirco moneo te ⁊ obtestor/ vt cōsortia mulierū fugias/ ne famam boni nominis perdas. Semel quippe infamatus de fornicatione presbiter/ amissum nunq̄ʒ recuperabit honorē. Sed ⁊ colloquia feminarū deuita crebras in foro salutatiōes declina/ quia per leuia verba venit ad pessima facta. Multos enim decepit incauta feminaꝝ allocutio: Omni tēpore vigilans esto/ nec tibi metipsi vnq̄ʒ ꝯfidendum duxeris/ q̄ʒ diu in carne viuis. Complures enim in senectute lapsos agnouimus qui sibi de victoria preterita securi videbantur. Nunq̄ʒ etenim deest homini temptatio/ quousqʒ in hac vita cōuersatur. Si vero curā domesticam sine ministerio famule agere nō vales/ vetulā de tua cognatione probā assumito/ de cuius cohabitatione nulla in populo suspicio oriri possit. Veruntamē hoc ante omnia caueas/ ne in famulam maritatā sumas. Quos enim deus coniunxit/ homo non separet. Non caret suspitione mali/ cohabitatio vxoris viri alieni. Uolo te quod fieri potest testimōium bonum habere ab omnibus. Reddāt te aliena pericula cautum ⁊ vbi multos cecidisse cōspicis/ ne incautus ambulare velis: Memento quot fortissimi sapientissimiqʒ viri ab origine mundi/ vsqʒ in hunc diē per mulierū ꝯsortia perierūt. Adam prothoplastum femina decepit/ et eo supplantato nos omnes interfecit. A principio cōditi orbis/ per mulieres filij dei peccauerūt/ ⁊ suis sceleribus cathaclismū sup vniuersum mundū induxerunt. Exeuntes quoqʒ de egipto filios israel/ mulieres alilophiloꝝ prostauerunt in deserto. Quid ista recensemus/ cū omniū hominū fortissimum sampson vilis meretricula captū suis amoribus/ tradiderit in mortē ⁊ opprobrium: Nemo de sua fortitudine presumat/ nemo de pristiana castitate ꝯfidat/ quoniā sepe qui hodie fortiter stare cernitur cras in profundū fornicationis cadere videt. Sapientissimus salomon dolos mulierum cauere nō potuit quis modo tutus erit: Cadit gladio mulierū fortis et sapiens et nos fragiles insipientesqʒ de securitate presumimus: Dicit enī qui cecidit. Melior est iniquitas viri q̄ʒ mulier benefaciens. Tutius est cohabitare viro iniquo/ q̄ʒ femine bone. Aduersarius enim castitatis diabolus/ nunq̄ʒ cessat casto viro insidias ponere/ si materiā decipiēdi poterit inuenire. Astutus cum sit nouit ad tempus dissimulare donec tandē in vna hora omnē laborem et premium transacte continētie possit euertere. Ingerit se paulatim amātibus/ ⁊ sub specie charitatis xpiane dulcia de virtutibus et vicijs verba seminat/ quousqʒ in laqueū criminis incautos trahat. Jam familiarius deinceps loqui incipiunt secretiora sua queqʒ alterutrū ape-

riunt/contingere se manibus paulatim assuescũt. Demum per mutu-
os risus futura parantur cõnubia/et dum ex cõsuetudine familiariter
viuunt/in foueam diaboli subito cadunt. Postea vero q̃ semel in mu-
tuos reatus ceciderint/videt sibi factũ aliquantulum abhorrere/sed a
cepto non facile possunt recedere. Pergũt igit via quã ceperãt/et quã-
q̃z in principio cõsciencia delectante scelus abhorreat tamẽ ex consuetu-
dine paulatim id leuius portat. Et primũ quidẽ cum quodam verecũ-
do timore lasciuire incipiunt/sed deinceps praua cõsuetudine obcecati
amplius nõ erubescunt. Uenter interea secreti conscius incipit tumes-
cere/et scelus quod latuerat in publicum ꝑpalare. Nascit postremo in-
fantulus ad breue tẽpus/pater et mater erubescunt/et statim ad cõsueta
crimina reuertunt. Jam vero deinceps omnis verecũdia procul abijci
tur/conscientie oculus obcecat/timor dei et inferni a memoria penitus
repellitur Uiuunt iam licenter in peccatis diabolico glutino cõiuncti
viuunt corã hominibus diffamati/viuunt a deo alieni. In desperatio-
nem mox crimen inueteratũ vertit penitẽtie remediũ deridet longani-
mitas paciẽtie dei comtempnit Interea sacerdos vsq̃z eo libidini ser-
uus efficitur: vt sine cõcubina viuere non sibi posse videatur. Potest
quidem emendare peccatũ sed rennuit/quia se vinculis luxurie inuolu-
tum delectabiliter sentit/propositũ penitentie in futurũ sibi pollicetur
assumere/vitã suam promittit emendare. Sed dũ inter tot crimina vo-
luntatem penitẽdi procrastinat et tẽpus et posse pariter amittit. Hinc
fit/vt sani sacerdotes cõcubinarij ad remedia penitentie salutaris raro
veniant: quia vitam suam adhuc diu ꝓlongari sperãt. Intantũ quippe
nonnulli diabolicis dementant illecebris / vt nichil aliud q̃z carnalia
cogitare valeant/nichil de futura retributione curent. Plus diligunt
sceleratã concubinã q̃z felicitatẽ eternam. Quam putas hij penitentiã
agunt in extremis quando nõ volũtate sed necessitate vrgentur? Qui
omne tempus vite sue in luxuria cõsumpserunt/in extremis vite sue ar-
ticulis veram penitentiã raro cõsequntur. Nam et si taliũ sera penitẽ-
tia (deo miserante) aliquãdo vera sit/non tamen sine grauissimis pur-
gatorij tormentis ad regnũ celorũ poterũt peruenire. Deniq̃z si reue-
lationibus credendũ est/maxima apud inferos clericorũ multitudo/in-
estimabiles propter viciũ incontinentie penas/ineternum duraturas
patitur. Uides quorsum in cauta mulierũ familiaritas clericũ pertra-
hat quem eternis cruciatibus inferni damnat? Principijs itaq̃z ten-
tationum obsistendũ est quia luxuria nunq̃z melius vincitur/q̃ si per
fugam declinet. Nam si per cõsuetudinẽ te semel inuoluerit/nunq̃ sine
speciali gratia dei liberũ dimittit. Si nostris verbis adhibere fidem
dubitas: exempla seniorũ legas. Sed non est opus in libris exẽpla que-
rere: cũ possis ad oculũ documẽta inuenire. Ecce multos hodie senes

ſacerdotes nouimus: quorũ eſſe vitam incontinentẽ ſcimus. Uidem⁹ in eis etatem ſeneſcere: ⁊ iuuẽtutis vicia miſericordie deſerere. Cumq3 ad vltimã ſenectutẽ venerint/mores prauos nõ dimittũt/ſed quales ab inicio ſemper fuerũt: tales quoq3 ad mortẽ vadunt. Cerneres inter eos ſacerdotes iam decrepitos/adeo luxurie venenũ imbibiſſe/vt cum pre ſenectute amplius opere laſciuire nequeant/cogitatione verbo ac nutibus ad cõſueta inardeſcant. De qualibus per prophetam dñs dicit. Si ethiops poteſt mutare pellem ſuam/⁊ pard⁹ varietatẽ ſuam/et vos poteritis benefacere/ cum didiceritis male. Ceſſare autẽ in ſenibus feminarũ poteſt cõcubitus/ſed manet vt olim deſideriũ actionis. Qualem te igitur ſenem eſſe debueras talis nec quoq3 iuuenis viuas. Difficile namq3 eſt ſenem mores ſuos corrigere/⁊ in veteri mente noua cogitare. Enimuero ſenectus mores habet/ non accipit. Qui cũ femina iuuenis laſciuit/ſenex inſanit. Bonũ itaq3 eſt homini/cũ portauerit iugum domini ab adoleſcentia ſua quoniã ſi malus in iuuẽtute quis extitit/raro in ſenectute bonus erit.

De remedio ꝯtra Luxuriam. Capl'm tercium

CONſueuere medici primũ egrotis grauitatẽ morbi ſubtili diſputatione oſtendere/et tunc demũ remedij opem adhibere. Cognita enim grauitate egritudinis/minus terret amaritudo potionis. Id ego tecũ facturus / primũ quidem periculum feminee cohabitationis tibi multimoda demonſtratiõe aperui/⁊ quis ſit finis hui⁹ morbi quãtum licuit declaraui. Conſequẽs igitur nũc eſt/vt de remedio cogitem⁹ Caro enim ſemper ꝯcupiſcit aduerſus ſpiritũ/⁊ niſi exercitio ſalubri refrenetur/⁊ ſe et illum in profundũ damnationis precipitat Hinc probe admonet poeta dicens. Ocia ſi tollas/periere cupidinis arcus contẽpteq3 iacent/⁊ ſine luce faces. Sancta etenim ſcriptura perhibet quoniam in deſiderijs eſt omnis ocioſus. Oportet igiť eum qui viciũ libidinis cupit extinguere ſe in aliquo ſancto opere iugiter exercere. Ocioſitas quippe inmica eſt anime. Hinc beatus hieronimus quendam admonet dicens. Semper aliquid boni facito vt te diabolus inueniat occupatũ. Optimũ quippe remediũ contra malos cogitationes eſt operis ſancti alicuius occupatio. Eñiuero dũ animus circa aliquod bonũ exercitiũ delectabiliter intentus eſt aliunde non cogitat. Non patebit acceſſus diabolo/ſi mens fuerit occupata in aliquo exercitio. Exemplũ ſume in ſancto dauid/qui occupatus bellicis rebus luxuriã domuit ocioſus in domo cõſiſtens adulteriũ cõmiſit. Dum manus vacat ab opere mens languet in cogitatione. Si ergo cupis libidinẽ vincere/ocium

fuge. Quibus autẽ exercitijs tẽpus accomodare debeas/paucis si placet accipito. Mane assuestas ante lucem de somno exurgere/ꝛ orationibus tam canonicis quã votiuis aliquantulũ vacare. Cumqꝫ pensum seruitutis tue orando deuote cõpleueris / lectionibus sacris deinceps vacabis donec te ad missam celebrandã. ex officio vocatum intelligis. Post missam orationibus denuo vacandũ est/ꝛ sacris meditatiõibus qꝫ deuotissime insistendũ. Deniqꝫ manibꝰ laborandũ domus curãda negocia ꝛ si qna ꝑ necessitate fuerint ordinãda cũ dei timore disponant̃ Opus aũt manuale sacerdotis est scribere/codices a se vel ab alijs descriptos impꝛsso sue ligare ceterisqꝫ honestis laboribꝰ pro sua ꝯditione vel necessitate insistere. Deniqꝫ sumpto cibo laudes deo referẽde sunt qui nos hic pascit in terris/iterũqꝫ orandũ/vt post hãc vitam sine fine pascat in celis. His rite cõpletis nõ dico ad fabulas eundũ ẽ sed sacris litteris denuo vacandũ. Deniqꝫ manibꝰ operandũ erit vsqꝫ ad vesperam que vltra quartã horinẽ nõ extendat̃ in opere manuali. Cũ vero iam inclinato die dormiendũ est prius ad deuotissimas orotiões recreatur. Quibꝰ expletis actuũ tuoꝝ per diẽ rationẽ cõstituas:ꝛ de negligenti ꝯuersatione tua te reũ coram deo clamans veniã ꝛ indulgentiam expostules. Nã si teipsum iudicauerꝭ a deo absolueris. Et nisi in timore dñi te ꝯstanter tenueris:cito subuertet̃ domus ꝯscientie tue. Quod si in aliquo delicto preoccupatus fueris:mox ad lamentũ penitentie recurras talemqꝫ si fieri potest confessorẽ eligito:quẽ ꝛ scientia scripturarum idoneum cõprobet:ꝛ ꝯuersatio cõmendet. Raro enim ꝯfitentibꝰ viam salutis in veritate aperit:qui ꝯuersatione reprobe viuit. Quod si tẽptationes carnis inimico suggerẽte in anima sentire ceperis noli eas per moram roborare:sed per orationes ꝛ sancta exercitia quãtocius expellere Lubricus est serpens libidinis et nisi in capite nõ facile ꝯterit̃. Dum adhuc infirmus est aduersarius facile superat̃. Nec te si viceris aliquãdo securũ existimes:quia non est cõpleta victoria:vbi quottidiana geritur pungna. Quam diu ergo potes subici:nõ credas te vicisse Noli in tua fortitudine cõfidere/noli tibi victoriam arrogare:sed spem tuam in solius dei adiutorio scito ꝯsistere. Nemo enĩ castus viribꝰ suis Gratia enim dei adiuta carnem vincit bona volũtas. Oportet autem contra temptationes carnis sine intermissione orare ad dñm ꝛ dicere. Confige timore tuo carnes meas/a iudicijs enim tuis timui:noli amare delicias huius mũdi que te cito euanescere faciẽt ꝛ ardore libidinis facile incendẽt In victu tuo caueat̃ supfluitas:nec ciboꝝ varietas appetitũ moueat sed fames. Non apponant̃ incentiua libidinum:sed que corpus alant nõ incendãt. Uinũ in quo est luxuria semp sit tibi suspectum:ne duplici ardore incẽdaris potus videlicet et iuuẽtutis. Ignez luxurie fouet in gremio:qui assiduo vtitur vino. Uerendoꝝ. Hoc de-

nudacio ⁊ incestus Loth te vinuȝ semper timere admoneāt. Ebrietas enim vini hominis sepultura est/que sensus destruit/rationem extinguit/mentē ligat/consciētiam vulnerat/sanitatē corporis minuit/animā occidit. Scaturigo malorum ebrietas carnem ad luxuriam excitat pessimis cogitationibus cor inquinat/in turpissima verba linguam laxat. Hieronimi sacratissimi verbum est. Repletus venter facile spumat in libidinem. Sit igit viro casto moderata refectio/sit potus parcus et tenuis/sit sermo pudicus. Caueat familiaritatē mulierum/sensus suos omni custodia dirigat/ne in foueā libidinis cadat. Quotienscunqȝ cogitatio turpis mentē pulsare ceperit/memoriā dominice passionis subeat/cogitatū suum in vulnera iesu christi ponat. Scriptū nāqȝ est. Beatus qui tenebit: ⁊ allidet paruulos suos ad petrā. Petra aūt inquit amplius erat xp̄s. Recordatio etenim dominice passionis/omnium tēptationum efficacissimū remediū est. Enimuero quē xp̄i passio non emollit: nulla exercitatio curabit. Mox ergo vt carnis libido spiritum oppugnare ceperit/leuet manus suas ad celū cultor castitatis et dicat. Domine ihesu christe amator casti cōsilij/tu scis vires meas ad resistendū exiguas/adiuua infirmitatē meam per amaram passionē tuam. Credo in domino quoniā si orans cum deuotione perstiterit/victoriam aduersus carnem facile impetrabit. Uolo aūt te frater amantissime/non solum facta/sed et verba turpia declinare Corrumpūt eni mores bonos coloquia praua. Neqȝ illos imitari velis/qui turpiloquijs vacantes castos se corde existimant. Ex habundantia etenim cordis os loquitur. Uanus sermo: vani cordis indicium est. Qualis vnusquisqȝ apud se lateat: prolatus sermo probat. Sunt nonnulli et quidem multi sacerdotes/qui lasciuis moribus suis sinceritatē conscientiarum violant quāqȝ ad actum libidinis corporaliter non accedant. Sedent cū feminis loquētes turpia/tact⁹ pruriētes cōmiscent ⁊ oscula: et inter hec se castos esse gloriantur Et vbi manet sermo dominicus: qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mechatus est eam in corde suo. Si viro casto mulierem videre ad concupiscendū non licet quāto minus impudice cōtingere osculari ⁊ contrectare manibus. Dicit nāqȝ amplius Ab omni specie mala abstinete vos/sicut decet sctōs. An tibi non videtur mali species: inter homines sedere castos: et iuuencularum osculis tactibusqȝ insanire? Mentiar si non vidi sacerdotes: et maioris dignitatis prelatos totum in nauibus diem obscenis cōsumere tactibus ⁊ osculis feminarū nullamqȝ dignitatis sue reuerentiā habuisse. Interne libidinis indiciū est/dum verba quis turpia loqui cōsueuit/et iungere tactus Inter hec ne castitas mentis illesa manebit? Tu aūt nicolae charissime: si dignum te deo ministrū exhibere desideras/si libidinis durissimū iugum euadere optas/nō solum a factis/sed

etiam a verbis turpibus ⁊ mulierum te tactu abstineas. Impossibile est non vulnerari mentem: dum osculo ⁊ manu lasciuiens cõtingis mulierẽ. Memẽto nouissima tua monet sapiẽs: ⁊ ineternũ non peccabis. Nihil enĩ adeo cohibet a peccato hominẽ quã intẽta memoria mortis.

De lectõe ⁊ studio scripturarũ. Caplm quartũ.

Scio et expertus sum ꝙ efficacissimũ contra omnes tentationes remedium est ⁊ studiũ et lectio scripturarũ. Dicit enim beatus Hieronimus Ama sciẽtiã scripturarum ⁊ carnis vicia non amabis. Sola enim scriptura est que nobis celeste promittit in tribulatione remedium. Quid de superna patria scire vel credere poterimus si scripturas non haberemus. Dicit namqꝫ amplius. Omnis sriptura diuinitus inspirata est vt per pacientiam ⁊ cõsolationẽ scripturarum spem habeamus. Idcirco moneo te/vt studium sanctarum scripturarũ assumas in huius peregrinationis solaciũ quoniã si in lectione earũ fueris assiduus facile mundũ contemnes cũ vniuersis vanitatibus eius. Nihil enim sic mentez a sollicitudine vana ad superna eleuat/nihil sic carnis incendia sedat/quam sedulitas sacre lectionis. Deniqꝫ officio tuo studium maxime cõgruit dicente malachia. Labia sacerdotis custodiunt scientiam: ⁊ legem requirẽt ex ore eius quia nunctius dñi exercituũ est. Nam sicut pauloante diximus oportet sacerdotẽ xp̄i doctum esse in lege diuina: vt sciat ⁊ sit vnde proferat sermonẽ. Qui enim suscepit animas regere pro quibus summo iudici deo rationem redditurus est necesse habet multa legere ⁊ intelligere. Eniuero sicut dixit magnus ille gregorius nazanzenus/⁊ post eum papa Romanus Ars artium est regimen animarum. Qui autem nichil in scripturis sanctis didicit quid alios docebit? Aut quam in predicando sacerdos vtilitatẽ auditorib⁹ suis afferre poterit: qui scripturas nescit. Ve nunc tẽporibus nostris: in quibus est sicut populus sic sacerdos. Studiũ scripturarum sacerdotes nostri abijciunt: eruditionẽ negligũt pro libris scripturarũ aues et canes enutriũt. Viderint episcopi qui tales idiotas ⁊ inscios ad sacerdotij dignitatẽ promouent qui imperitis pastoribus curam ouium christi cõmendant. Recede de consortio eorum qui scientiam abiciunt qui lectionem scripturarũ negligunt qui studium contemnũt. Nihil aliud quam mundanũ sapiũt/nihil quã vanũ diligunt/nihil nisi carnale intelligunt. Cito subuertent te: si in conuentũ eorum frequẽter transieris. Sedent in insidijs cũ potatorib⁹ in tabernis: ludis et cõmessationibus vacant non est timmor dei ante oculos eorum. Irascunt: si quis

eorum eis loqui de scripturis ceperit: audire lectionem dedignantur ad fabulas autem conuertuntur. Quid tibi et illis? Nonne sacerdotes sunt sed ꝯuersatione asini? Nihil penitus de scripturis intelligunt qui discere contemnunt. Romana lingua scribere vel loqui nesciunt: vix in vulgari exponere euangelia didicerunt. Quantos errores fabulas et hereses in ecclesia predicando populis enunctient: quis nisi expertus credere posset? Pro libris sibi liberos comparant pro studio concubinas amant. Isti sunt ceci duces cecorum qui populū dei ad iustitiam non erudiunt sed potius seducunt. O quot pauperes christiani in rure habitant qui ob ignorantiā suorū sacerdotū: quid xpianum deceat ignorant? Inter hec nemo est qui animaduertat nemo qui periculum animarum doleat: nemo qui remediū apponat. Omnes que terrena sunt sapiunt omnes sua querunt omēs ad lucra currūt. Sed quid ista ad nos? Unusquisqꝫ suo domino stat aut cadit. Et quāuis ad me non pertineat ista corrigere: non possum tamen nō dolere videns omne malum in ecclesia ex ignorantia sacerdotum procedere. Quis enim nō doleat illos mandata nescire: qui cōstituti sunt alios instruere? Ecce nulla in ordinandis sacerdotibus scientia queritur: non vocati accedere permittuntur nunqꝫ vita ordinandoꝝ vt in primis oportuerat discutitur. Propterea populus christianus funibus peccatorū captiuus adducit ardor charitatis extinguitur concordia fraterne dilectionis violatur. Sacerdotes nostri mūdanis cupiditatibus effluunt qui corrigere viciosos non presumunt quia se deliquisse in maioribus agnoscunt. Pauci etenim sunt qui moribus sanctis in ecclesia nunc fulgeāt pauci sciētiam scripturarū amant pauci cōmissum sibi gregem verbo ꝛ exemplo debite informant. Nec mirum si minores vacent a studio scripturatuꝫ cum inter prelatos paucos inuenias: qui veterum exempis inhereant. Eliguntur enim vt plurimum non doctores sed ad congregandas diuicias perituras auidiores. Codices scripturarum aut nullos habent aut paucos/quippe qui odio scientiā persequunt. Nihil adeo ecclesiasticam dignitatem minuit ꝛ contēptibilem reddit sicut ignorantia prelatorum. Cum olim episcopi abbates ac ceteri prelati ꝛ sacerdotes animum scripturis intenderent: non tam facilis criminibus ꝛ peccatis aditus patebat. Amor etenim ac scientia scripturarum mundū doceut contēnere vicia fugere virtutes sacratissimas amare. Quā diu populꝰ israheliticus permansit in lege domini: nulla ꝑualuit contra eos potestas inimici. At postquā legis scientiā abiecit: multis aduersitatibus subditus fuit. Dicit enim sciptura Quoniā non habuerūt sapientiam perierunt propter suam insipientiā. Hodie quoqꝫ sacerdotes ecclesiarumqꝫ rectores in magno numero sunt: sed pauci eorum legis et scripturas aduertūt. Et quia sicut dominus per prophetam loquitur: sacer

dotes noticiam legis abiecerũt propterea contemptibiles in populo facti sunt. Clamant quippe vel quidẽ in tribulatione ad dñm/sed nõ exaudit eos: quo[n]iam qui auertit aures suas ne audiat legem: oratio eius erit execrabilis. Non ergo mirent sacerdotes/ꝙ eos cõtemnunt laici/ quoniã ipsi spernũt mãdata christi. Timeo autẽ vehementer in breui contra clerũ grauiora futura. Sed de his hactenus dictum sit. Tu vero non quid alij faciant: sed quid tibi sit faciendũ considera. Multi enĩ ad sacerdotium in ecclesia dei vocati sunt pauci vero electi. Sumopere igitur curandum nobis est/vt qui in sortẽ dñi nascimur etiã eligamur. Quid prodest hic sacerdotio breuissimo tẽpore fungi: si separari cõtingat a conspectu dei? Nichil ergo melius q̃ȝ in celestibus desideriũ figere sacre lectionis studio insistere presentia pro dei amore spernere futura cogitare: Hinc petrus in aurora dicit. Nil homini melius q̃ȝ si diuina legendo figat ibi mentẽ quo sibi vita venit. Legendis itaqȝ scripturis continuum studium impendendũ est quia lectio alit mentẽ ⁊ fomenta ministrat virtutibus. Ut ergo precium temporis non amittas sacras legito scripturas scribe libros deuotis oratiõibus insta suis tẽporibus etiam manibus labora. Non erubescas discere quod ignoras quia tunc alios poteris vtiliter instruere si a doctioribus semper petas informari. Non te pudeat nomen subire discipuli si pertingere cupias ad honorem magisterij. Spiritus etenim sanctus qui docet hominem scientiã humilitatis amator est. Quando sedes ad mensam vt cibum capias: prius sacris litteris insonandum memineris quatenus dum caro pascitur mens suo alimento minime defraudetur. In toletano quippe ꝯsilio ita legitur. Pro reuerentia dei ⁊ sacerdotũ id vniuersa constituit sinodus vt quia solent crebro mẽsis ociose fabule interponi vt omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarũ scripturarũ misceatur. Per hoc enim ⁊ anime edificantur ad bonum et fabule non de necessitate probibentur. Uerbum enim dei esca spiritus est/quia non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Maximam antiqui patres ⁊ sacerdotes diligentiam scripturis sanctis impenderunt vt et mentem salubriter pascerent ⁊ posteritati ad eruditionem vtilia prouiderẽt. Istorum vestigijs inhereamus/ vt digni coram deo ministri inuenire mereamur.

De auaricia ⁊ cupiditate fugiẽda. Capl[m].v.

Quamq̃ȝ in principio sermonis nostri contra auariciam ⁊ cupiditatem disputauerimus certa nihilominus ratiõe ducimur vt eti-

am in hoc loco de hac ipsa re iterum eloquamur. Nunq̃z enim satis cōtra hoc vicium agitur nisi cum funditus extirpat̃. Sciens aūt saluator noster q̃z difficile sit diuitem intrare in regnum dei sequentibus se dixit. Nisi quis renunctiauerit omnibus que possidet non potest meus esse discipulus. Hinc spalmista nos admonet dicens. Diuitie si affluant nolite cor apponere. Et apostolus dicit. Habentes victum ⁊ amictū his contēti simus. Quid amplius querim⁹ qui ministri dei simus. Turpis ē in sacerdote dei cupiditas turpis auaricia ⁊ auri cōtinua fames dānabilis. Tu ergo frater amātissime si cupis in libertate spūs viuere noli pecunias pituras querere diuitias noli amare. Iacta cogitatum tuum in domino ⁊ ipse te enutriet ipse esurientem te pascet ipse custodiet. Nec volo vt prouidentiā domesticam penitus abijcias sed ne per auariciam excedas. Radix omnium malorūz cupiditas est que hominem non sinit deo in libertate spiritus viuere sed mentē semper torquet curis amoris nec permittit eum aliunde q̃z de diuicijs cogitare. Mediocritas autē res tutissima est que nec egestate premitur nec habundantia insuperbiam eleuatur. Videmus inter sacerdotes dei cultores ydolorum qui pecunijs congregandis semper in vigilant qui auaricie student qui de eterna vita nihil aut parnm cogitant. Viuunt tanq̃z nati sint ad questum pietatem in pauperes longe abijciunt nihil aliud q̃z aurū querere ⁊ inuenire ↄcupiscunt. Videres inter illos quosdam auaros ⁊ miseros diuites quibus rerum temporalium copia ⁊ habundantia maxima est sed facultas vtendi acquisitis deest Omnibus diebus quibus versantur in terra misere viuunt comedere ⁊ bibere pro necessitate corporis non presumunt augere ad aceruūz pecunie semper aliquid concupiscunt. Lucris inuigilant de animarum salute nihil penitus curant. Plus dolent de amisso denario q̃z si decem ex sibi conmissis anime perirent. Sed mirum non est si alienam negligat qui propriam damnat. Quisquis enim cor suum auaricie et cupiditati semel submiserit nunq̃z aut raro liber erit. Semper ad maiora lucra pecuniarum estuat: ad augmentum auri semper anhelat: tantoq̃z crescit habendi desideriū/ quanto contigerit creuisse nummum. Iam deinceps vnum beneficium quantumlibet pingue non sufficit: pro impetrandis etiam alijs sacerdos auarus discurrit: per phas nephasq̃z nancisci laborat: quod improbe cōcupiscit. Currit interea ad sedem apostolicam: petitionis sue narrat causam: que si cum veritate discutit̃: falsa protinus inuenitur. Prebendas deinde vnus homo multas impetrat: curam ouinm mercennarijs locat: lac et lanam de ouibus recipit: sed gregē pascere contemnit. Ve inquit propheta pastoribus: qui pascūt semetipsos. Putāt se a noxa liberos qui

per dispensationem summi pōtificis multa beneficia obtinent/sed quid requiratur ad istam impetrationē non pensant. Tu autē sta ⁊ noli trāsgredi terminos antiquos/quos posuerūt patres tui/sed pone cōcupiscentie modum ne cadas in peccatū. Uno beneficio quod tibi pro mediocritate tui status sufficit te volo esse contentum ne si plura sine iusta necessitate susceperis granius coram deo inde iudiceris. Noli multitudinem secus agentium in exemplum assumere noli per latam viam peccantium incedere si ad vitam voles peruenire. Qui altari deseruit de altari viuat/qui autē pascere oues negligit lanam et lac ab eis qua temeritate requirit? Instituta sunt ecclesiastica beneficia pro sustentatione eorum qui ea deseruiunt non ad auariciam illorū qui sua querūt Qui onus portat ⁊ curam dignus est recipere sustentationē. Qui aūt fugit onus sollicitudinis non sine culpa percipit emolimentum lactis. Si ergo christi oues pascere rennuis: lanam ⁊ lac ab eis nūme quesieris. Non enim propter pastorē oues sed propter oues pastor cōstitutus est Neqꝫ cura animarū appetenda est vt habeantur alimēta/sed alimēta potius requirenda sunt vt debita ouibus adhibeatur cura. Sed a multis nunc ordo peruertitur qui prelaturas ⁊ beneficia idcirco appetunt vt in archa pecunias habeant: nō vt animas pro dei amore pascāt O pastor ⁊ idolum qꝫ misere decipis temetipsum? Curas tantū vt comedas qui vt curare animas posses comedere debueras. Cupiditas radix malorū omnium est: mater transgressionis magistra: nocendi: auriga malicie: inuentrix doli: seditionis origo: fouea scandali: promotrix mendacij. Sacrilegia cōmittit ⁊ furta predas agit ⁊ incendia: bella gerit ⁊ homicidia. Deniqꝫ sola cupiditas est q̄ simoniace homines emere ⁊ vendere docuit inique petit ⁊ recipit/iniuste negociatꝛ dolis innititꝛ mendatio ⁊ periurio fouetur Ipsa est que fidem frangit dissoluit pactū testimonium corrumpit ⁊ violat iuramentū. Charitatē quoqꝫ inter deum et hominem extinguit cupiditas fraternā dilectionē interrumpit concordiā turbat infatuat consiliū equitatis peruertit iudiciū destruit vnitatem. Si ergo te dignum deo ministrum exibere desideras hanc omnium malorum radicem de corde quantotius euellas. Breuis est omnis terrenarum opum possessio breuis vite mortalis actio instans quottidie ad mortem humani generis processio Cur ergo moraris pro dei amore contemnere que morte interceptus cogeris in breui vel inuitus relinquere. Non enim habemus hic manentem ciuitatem sed futuram inquirimus. Ubi thesaurus tuus est ibi ⁊ cor tuum erit. Noli perituras mundi diuicias querere/noli cor tuum auaricie vinculis obligare. Decet enim sacerdotem christi esse discipulum mitem et misericordem/qui aliena non cupiat/sed in pauperes sua largiter distribuat.

De honesta conuersatione sacerdotum ex-teriori. Capitulum sextum.

COnsidera nunc qualem conuersationē tuam debeas instituere: qualemqȝ te oporteat viuere vt omnipotēti deo cuius minister es in toto corde valeas placere. Quantū vero ad internā conuersatio-nem ptinet: oportet vt mundꝰ ⁊ purus in ꝯsciētia fulgeas qui corā dño ministras. Dicit enī ad sacerdotes propheta dñi. Sanctificamini qui fertis vasa dñi. Et dñs dicit. Lauamini mūdi estote: auferte malū co-gitationum vestrarnm ab oculis meis quiescite peruerse agere discite benefacere/dicit dñs omnipotēs Quantū vero ad exteriorē hominez pertinet apostolus episcopū instruens dicit. Oportet episcopū irrep-hēsibilem esse sobriū pudicū: benignū ornatū moribus hospitalē doci-bilem. Quidquid aūt episcopo in hoc loco precipit: etiā ceteris prela-tis ⁊ presbiteris mandat. Et primū quidē cū dicit eum oportere esse ir-reprehensibilē ab hominibus vicijs ⁊ diffamationibꝰ populi pronūc-tiat imunem. Uita quippe sacerdotis populo in exemplū proponitur que lucerne cōparatur vt quēadmodū lux luceat in tenebris ita cōuer-satio presbiteri fulgeat in turbis. Dicit enim in euāgelio dñs. Sic lux vestra corā hominibus luceat: vt videant opera vestra bona: ⁊ glorifi-cent patrē vestrū qui in celis est. Tunc aūt sacerdos digne deo ambu-lat quādo vitam suam bonis et sanctis operibus quottidie exornat: et membra sua que sunt super terram pro xpi amore mortificat. Seruus namqȝ dñi est hocqȝ potissimū ab eo exigit vt voluntatē dei verbis et factis operet. Nemo aūt voluntatē dei perficit/nisi qui vicijs expulsis cor suum habitaculū virtutum facit. Caue ne sponsam xpi ecclesie per vite turpitudinē macules/caue ne per malū exemplū aliquē scādalises quia quotquot tuo vicio in peccatū duxeris: pro tot in supplicio crucia-beris. Rarus videaris in publico: in domo assuesce ꝯsistere et lectio-nibus vacare. Esto mēte ⁊ corpore quietus noli per vicos ⁊ vicinorum domos discurrere noli fabulis rusticoꝝ interesse. Minuit enim p̄sen-cia famam/et parit in populo nimia sacerdotis familiaritas ꝯtemptum Rarus aūt egressus in publicū magnā tibi in plebe reuerentiā matu-ritatis exhibebit. Ita viue/vt exēplo tuo edificent multi. In medio se-niorum pauca loquaris/quia loquacitas sepe reprehendit vbi tacitur-nitas laudat: Eniuero inter senes iuuenē audire decet: nō loqui. Non appetas in sacerdotū collegio videri sapiens ne corā eis velut insipiēs confundaris. Non sis verbosus ⁊ arrogās/ responde cū humilitate et beniuolentia interrogatus/⁊ ne fueris more rabidoꝝ dum loqueris in voce clamosus. Risum excussum nō diligas/⁊ ab omni leuitate in bo-

nesta te semper ꝛ vbiqꝫ ꝯserues. Inutiles sermones ꝛ vana verba deuita sciens de omni verbo ocioso quod locutus fueris/deo te rationem fore redditurū. Sit sermo tuus moderatus ꝛ parcus longe desit omne mendacium/ꝛ ne frustra fiat iuramentū. Noli tabernas cū rusticis ingredi/quia id tue non licet honestati. Valde namqꝫ incongruū est/vt is qui peccatores debet arguere per suam presentiā peccatis se patronum velit exhibere. A sanctis enim patribus / ingressus tabernarum sacerdotibus interdicit̄ nisi in itinere ꝯstituantur. Ignominiosum est sacerdoté dei cum rusticis tabernā ingredi/et os quod deo consecratū est/impuris locutionibus fedari. Facile predicātis sermo contemnit̄ si inter rusticos familiariter ꝯuersatur. Incipient te ex cōsuetudine familiaritatis contēnere/et quasi ex suis vnum estimare. Nulla enim reuerentia maioribus impendit̄ si inter subditos eorum vita angustetur Oportet eum qui presidet/quadā reuerentia maturitatis omnis excellere ꝛ nimiā subditorū familiaritatē sapiēter declinare. Enīuero auctoritatis preminentia frangitur dum subiectoꝝ actibus indiscrete cōmiscetur. Nulli detrahas/ne aduersus aliquē scandalū sumas. Turpe est sacerdoti linguam suam detractione polluere/que in altari ꝯstituta est pro omnibus orare. Neqꝫ autē prebeas detractoribus quia detractor et libens auditor/pari cōdemnatione digni sunt. Alter enim diabolum portat in lingua: alter in aure. Discat qui huiusmodi est nō facile detrahere/cum te viderit inuitum audire. Non sis citus in lingua ꝛ in consortio detractoꝝ ne steteris/quia omnipotēti deo odibiles sunt. Sepi aures tuas spinis ne audias verba detractoꝝ. Nullū ex ore tuo mendaciū prodest non sed esto custos lingue tue ne offendas in sermone. Non sis accidiosus ꝛ piger neqꝫ somno et inertie dedit⁹/sed in feruore sancti spiritus iugiter accēsus. Frugalitatē hospitalitatis nō negligas pauperibus ꝛ peregrinis qua potes sedulitate misericorditer occurras sciens hoc sacerdotis esse propriū/vt curā gerat egenoꝝ. Aurum habeto non vt serues/sed vt in elemosinā pauperum eroges. Laudent te pauperū esurientiū viscera/non diuitū ructuantiū cōuiuia. Sit mensa tua cum pauperibus ꝛ egenis quia in talibus xp̄s suscipitur / et curia celestis honorat̄. Conuiuia diuitū superboꝝ maxime potentium deuita/in quibus de animarū salute nichil agit̄ de spirituali cōuersatione nichil penitus tractatur. Vestitus tuus sit honestus / non tamen preciosus. In faciendis elemosinis noli ab hominibus gloriā querere/ sed a solo deo laudem ꝛ mercedē expectare. Esto pater pauperū/et tutor orphanorum. Inconsolatus a te pauper nullus abscedat. Non sis percussor neqꝫ rixosus in populo/neminē iniuriose ledas/sed omnibus quantū preuales benefacito etiam/inimicis. Ne peccatores vnqꝫ lactaueris/sed increpa tanqꝫ auctoritatē a deo cōsecutus. Non sis percussor

conſcientiarum plebis tibi cõmiſſe neqꝫ verbũ dei indiſcrete proferas ſed cum moderamine pietatis. Penitentibꝰ eſto miſericors ꝛ calamũ quaſſatũ noli cõterere ſciens ꝙ infirmoꝝ curam ſuſceperis non fortiũ. Melius eſt enim penitentẽ cum pietate ad purgatoriũ mittere / quam auſteritatẽ confeſſoris deſperantẽ ad infernum deſtinare: Horas tuas canonicas cum reuerentia ꝛ deuotione/ cõſtitutis ab eccleſia tẽporibus orare non negligas. Horas quoqꝫ beate marie virginis. Uigilias defunctorum cũ ceteris ex ordine ſacerdotali debitis/ legere nõ obmittas. Domus tue curam habe/ cũ timore dei familiam ſi habueris modeſtiam ꝛ honeſtatem ſeruare verbo perſuade et exemplo. Eniuero ſacerdotis opinionẽ ledit in plebe/ quãdo de domeſticis eius male loquiť populus. Sermo tuus teſtimonio roboreť ſcripturarum quia quidquid preter ſcripturas ſanctas precipiť/ eadem facilitate ꝯtemnitur qua probatur. Nolite imitari eos qui ſine eruditione in eccleſia predicant/ qui famulas ꝛ ſomnioꝝ fantaſmata crebro allegant: ꝛ miſteria diuinarum ſcripturarũ ignorant. Fabuli garruliqꝫ ſacerdotes ſine ratione loquẽtes: populum nõ edificant: ſed vanis ſermonibus ac fabulis eſopianis in admirationem ſui trahere laborant. Stulta enim et dampnabilis abuſio eſt obmiſſis ſcripturis ꝛ euangelio: populũ chriſtianũ eſopi fabulas docere: ꝛ geſta cõficta romanoꝝ. Nec mireris: ſi populus imperitus iſta libentius audit q̃ꝫ ſcripturas: cum hoc legas predixiſſe apoſtolum. Erit inquit tempus: cum ſanam doctrinã nõ ſuſtinebũt/ ſed ad ſua deſideria coaceruabũt ſibi magiſtros prurientes auribus/ ꝛ a veritate quidem auditum auertẽt: ad fabulas aũt conuertenť. Hinc hieronimus ait. Uoluere verba ꝛ celeritate dicendi apud imperitum vulgꝰ admirationem ſui facere: indoctorũ hominum eſt. Attrita frons interpretatur ſepe quod neſcit ꝛ cum alijs ſuaſerit ſibi quoqꝫ vſurpat ſcientiam: quã non habet. Nihil tam facile q̃ꝫ vilem plebeculam ꝛ indoctã contionẽ: lingue volubilitate decipere: que quicquid nõ intelligit plus admiratur. Tu autẽ loquere que decẽt ſanam doctrinã: ꝛ imperitorum applauſum noli querere ſi locum inter doctos cupis inuenire. Curam animarum imprudenter noli concupiſcere/ niſi prius ꝛ te et alios ſecundum eccleſiaſticam ſanctionẽ iuſte didiceris gubernare. Magiſteriũ etenim populi multis periculis ſubijciť ꝛ quottidianis anguſtijs tribulatur. Oportet enim rectorẽ animarũ ſine crimine eſſe: ſicut dei diſpẽſatorem non ſuperbum: non iracundũ: non vinolentũ: non percuſſorem non turpis lucri cupidũ: ſed hoſpitalẽ benignum: ſobrium: iuſtum: ſanctum continentẽ: amplectentẽ eum qui ſecundũ doctrinã eſt fidelẽ ſermonem vt potens ſit exhortari in doctrina ſana et eos qui contradicũt arguere. Oportet eum qui rector animarum conſtitutus eſt non minꝰ exemplo docere q̃ꝫ ſermone. Accuſare quidẽ auariciam et latro poteſt:

emendare vero non/nisi qui facit quidē docet. Delicatus magister est qui pleno ventre de ieiunio disputat. Prius ergo vita requirenda est q̃z doctrina: quia plenius opere docetur q̃z sermone. Excellentissimum nanq3 docendi genus est/demonstratio exempli. Et dn̄s quidem iesus prius fecit postea docuit. Maxima enim auctoritate in docēdo vtitur cuius sermo attestatiōe operis comprobatur. Facile a subditis sermo rectoris perficitur si morum honestate fulciat. Qui autē bene docens male viuit: proprij se oris sentētia perimit: ⁊ a mala institutione subiectos non cōuertit. Simul attende q̃z periculosa sit cura animarū maxime his tēporibus quando vbiq3 habundat iniquitas et charitas multorum refriguit. Dies enim mali sunt: et homines peruersi: ad iusticiā tardi: totusq3 mundus in maligno positus: et rara fides in terra. Inter hec verbum dei a populo despicitur christiane religionis institutio negligitur auctoritas sacerdotalis contemnitur. Vita laicalis multis peccatis ⁊ sceleribus obnoxia penitētie remedia negligit: dolis et fraudibus intendit: monita sacerdotū contemnit. Et nisi rector animarum populo sibi conmisso scelera eorū: ⁊ debitas peccatoribus penas sollicite annunciauerit: coram deo etiā sanguinis eorū reus erit. Et post hec adducet deus cuncta in iudicium vbi pastor animarū pro singulis rationē reddere cogitur ⁊ si negligens in hoc mūdo extitit: grauius damnatur. Tutius est ergo curam et regimē animarum humiliter fugere: q̃z arrogantur vsurpare. Si enim vnusquisq3 in illo tremendo iudicio rationem de sua vita reddere vix sufficit quoniā pro tot milibus sibi cōmissis respondebit. O quam bene viuit: qui sibi viuit. Bonū iocundumq3 videtur apud homines: episcopum abbatē pastorem vel quēlibet prelatum in hoc seculo viuere: sed q̃z terribilis sit exitus negligētis quis sufficit cogitare? Etenim iudiciū durissimum fiet in eos qui presunt ⁊ potentes potenter tormenta patient. Bene trāsit qui simpliciter viuit cui nihil terreni honoris cōmittitur cui animarū cura nulla conmendat. Cura etenim pastoralis nunq̃z est sine periculo: q̃z diu viuit in hoc mundo. Omniū quoq3 periculoꝝ maximum est cum seperata per mortem a corpore anima summo pastori deo pastor terrenus ad rationem ponendā fuerit presentandus. Hic iam articulus vltime dānationis imminet vbi ratio villicationis male dispensate exigit ⁊ sanguis ouium multarum de vnius pastoris manu requirit. Quid tūc pastor imperitus respondere ad obiecta poterit: qui in cura ouium negligens fuit? Obmutescat necesse est: quia quod respondeat non habet. Si ergo frater ad curam animarū te idoneum existimas: si ecclesiam Mernicensem regere paras: scito te pro his adducendū in iudicium ⁊ pro vite merito gloriam suscepturum vel tormentum. Sed crede mihi

securus moritur qui obmissis aliorum curis: sibi soli in dei timore con-
uersatur. Cui enim multum cōmittitur: etiam multum ab eo exigetur.
Sacerdos maxime curā habens animarum: dei preco est vt populo vo
luntatem omnipotentis nunctiet: et peccantes in lege domini per in-
crepationis verba curet. Oportet ergo vt doctus et constantissimus
sit: ne aut per ignorantiam defluat: aut per in constantiā odia peruerso-
rum pertimescat. Turpe est enim propter metum populi tacere sermo-
nes dei. Modico vino sacerdoti vtendum est ne si potationibus vacat
opprobrium in populo fiat. Uinolentos enim sacerdotes et apostolus
damnat: et ab accessū altaris vetus lex prohibet. In agathensi quoqz
consilio ita legitur. Ante omnia a clericis vitetur ebrietas: que omniuz
viciorum fomes ac nutrix est. Itaqz eum quē ebriosum fuisse constite-
rit vt ordo patitur aut triginta dierū spacio a cōmunione submoueat̄/
aut corporali subdatur supplicio. Luxuriosa enim res est vinum ⁊ con-
tumeliosa ebrietas omnis qui miscetur his non erit sapiens. Qui abs-
qz vino ardet ardore adolescentie/⁊ inflammat̄ calore sanguinis: valido
est corpore vinum ⁊ venenū fugiat: ne multiplici incendio suffocatus in
scenum luxurie cadat. Stomachus vino estuans libidinē concitat: sen-
sum ebetat: caput totum ⁊ corpus debilitat. Prouerbio quoqz dicitur
Pinguis venter gignit sensum tenuem. Cum ergo ad conuiuia sacer-
dotum vocatus accedis: non obliuiscaris honestatis clericalis: sed mo-
destum et continentem te in omnibus exhibeas/⁊ caue ne aut linguam
aut aures habeas prurientes: id est ne aut ipse detrahas: aut detrahē-
tibus auditum accomodes. Scito quia cuncta que de alijs loqueris:
in temetipsum retorquēda sunt: et ī his ipsis forte deprehendend⁹ eris
que in aliis arguebas Sed forsitan dices: referentibus iniuriam face-
re non possum/quia inuanum nititur quisquis omniū obstruere labia
meditatur. Quid ergo aliorū detractio ad me. Nunquid ego prohi-
bere homines possum ne loquantur? Sed quemadmodum superius
diximus ita te coram detractore exhibeas: vt discat nulli detrahere: cū
te viderit non libenter audire que loquit̄. Cum detractoribus ait. Sa-
lomon ne commiscearis: quoniā repente veniet perditio eorum. Et rui-
nam vtriusqz quis nouit? Tam illius videlicet qui detrahit / q̄z ei⁹ qui
aurem accomodat detrahenti. Esto moribus ⁊ conuersatione matur⁹
verbis rarus ⁊ prouidus/silentio ⁊ taciturnitate discretus. In perscru
tandis misterijs scripturarum sedulus esto/et si quid dubietatis tibi
legēti occurrerit ad interpretatiōes seniorum noueris referendū. Ha-
bes in vicino antiquissime vrbis. Treuerorum gijnmasium/in quo co-
pia doctorum est ad quos in questionum ambiguitate poteris habere
recursum. Neqz aurum tibi charius sit q̄z scientia quia sapientie fru-
ctus eternus est: vsus vero diuitiarū breuis ⁊ momentaneus. Nemo

sit qui salutare studium prohibeat non mater: non frater: non cognat⁹ non soror: tu fac opus euangeliste: disce quod doceas/ ne pastor ꝛ idolū existas. Unus es/ ꝛ secundum non habes: cui ergo diuitias thesauri-zares? Uine temperate nuptias ꝛ conuiuia imoderata ne visites quia ꝛ mentem virtutibus exuunt: ꝛ bursam nummis vacuam reddūt. Cōpara tibi de oblatis elemosinis diuine scripture codices/ quarum assidua lectione doctus populū cōmissum digne possis instruere/ et teipsum per contemplationē ad celestia eleuare. Ama scientiam scripturarum: ꝛ coram deo ꝛ hominibus exaltabit te. Noli consentire voluptatib⁹ carnis impetū furoris reprime: ꝛ mortis ne vnquā obliuiscaris

Qualis debeat esse sacerdos in conuersatione interna. Capitulum septimum.

QUoniam vero non sufficit ministro christi honestam coram hominibus conuersationem ducere nisi coram deo ab omni scelere mundus studeat apparere/ exhortor te vt cor tuum in timore omnipotentis dirigas/ ꝛ nullas vnq̄ꝫ cōtra deū cogitatiōes admittas. Oportet enim sacerdotem dei sanctum esse mente ꝛ corpore ꝛ mundū in cogitationibus. Hinc dominus dicit. Sancti estote quoniam ego sanctus sum dn̄s deus vester: qui sanctifico vos. Et petrus archiapostolus dicit. Uos genus electum regale sacerdotiū gens sancta populus acquisitionis vt virtutes eius annunctietis/ qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumē suum. Primū in corde tuo locum charitas obtineat que plenitudo legis est/ ꝯsumatio prophetarū. Omniū enim virturuꝫ maxima est charitas/ que in dilectione dei et proximi consistit. Deus autem ex toto corde propter se diligendus est/ ꝛ proximus propter deū. Nemo autē veraciter deū diligit/ si in fide proximū odit. Christus enī deus ꝛ homo est. Totum ergo christū non diligit/ qui hominem odit. Nullum opus bonū deus accipit/ nisi quod flamma charitatis in ara cordis accēdit. Charitas enī virtutū omniū obtinet principatū. Hanc humilitas sequit̄ que virtutū custos memorat̄: Huius tāta est eminētia virtutis/ vt omnis alia cito pereat nisi humilitatis fundamēto roborerur. Dicit enī sanct⁹ papa gregori⁹. Qui sine humilitate virtutes ꝯgregat/ quasi puluerē in ventū portat. Unde enī ferre aliquid cernit̄: inde grauius cecat̄. Maximū ergo sacerdotis ornamentū charitas est et preciosissima in veste illius margarita humilitas. Tu quoqꝫ frater has geminas in te virtutes experire ꝛ fructuosus in ecclesia dei p̄dicator eris. Quidquid dixeris facile persuadebis auditoribus si charitatem ꝛ humilitatē habeas in corde: seduloqꝫ demōstres in opere. Locū

non habeat in corde tuo maledicta ambitio: que adeo mentē semel quā
inuaserit excecat vt dei salutisq3 proprie obliuionem inducat Esto chri/
stianus amator hominū ꝛ hostis viciorū. Serua mandata dei ꝛ eccle=
siasticas sanctiones noli negligere. Honora omnes homines propter
deum ꝛ neminem vnq3 dixeris contemnendū. Quod tibi fieri nō vis:
alteri ne feceris. Sol non occidat super iracundiā tuam. Diuitū adu-
lationes fugito ꝛ peccatores ne aliquando iactaueris. Abnega temet-
ipsum desiderijs tuis: vt discipul9 christi efficiaris. Castiga corpus tu=
um iuxta apostolum in seruitutē redigens delicias sperne castum ama
ieiunium. Pius esto in pauperes: esurientem ciba: nudum vesti: infir-
mum visita captiuum libera: consolare tristem: sepeli mortuum. Mun-
dum noli diligere: diuitias noli querere post vanitatem noli currere.
Nemo enim militans deo: negocijs secularibus se implicat. Nemini
feceris iniuriam sed disce patienter ferre illatam: exemplo domini tui:
qui pendens in cruce pro persecutoribus suis exorauit: vt non perirent
Pacem cum omnibus hominibus habeas concordiam ꝛ vnanimi-
tatem dumtaxat cū deuotis. Non sis superbus ꝛ arrogans: nō somno-
lentus et piger non vinolentus et multum edax nō obloquutor: ꝛ teme-
rarie quemq̄ iudicans. Custodi actus tuos omni hora ꝛ memoria fu-
turorum in cogitatione tua semper versetur. Dicit enī scriptura. Fili
memorare nouissima tua/ ꝛ ineternū non peccabis. Semper itaq3 mo-
riturum te cogita: diem iudicij time: inferni tormenta expauesce. Si
hec feceris omnis tentationes carnis facile superabis. Sperne vo=
luptates mundi vt ad superne felicitatis gaudia valeas introire gau-
dens Noli decipere animā tuam nemo potest hic gaudere cū mundo ꝛ
postea regnare cum christo. Per multas etenim tribulationes opor=
tet nos intrare in regnum dei Spretis itaq3 presentibus omni deside=
rio ad eterna gaudia festinemus. Omni custodia serua cor tuum quo=
niam ex ipso vita procedit. Si aliquo delicto preoccupatus fueris: non
tardes penitentie remedia querere: ꝛ per veram contritionē te in con-
fessione expurgare. Contende per angustam viam ad vitam ingredi:
hoc est carnis desideria non perficere: mundum odire spiritu viuere.
Ad militandū deo contra vicia carnis vocatus es: noli ante victoriam
quiescere: noli a pugna desistere quia nemo coronabitur nisi victor. In
hac autem vita non est certa victoria: sed continua pugna. Qui perse=
uerauerit vsq3 in finem saluus erit. In fine suo: comprobabit vir. Mi-
litia est vita hominis super terram: Miles enim summi regis es non
licet tibi agonem illius deserere. Bonus miles regem suum quocūq3
ierit sequitur. Ubi ergo est rex tuus? In celo. Cur illum non sequeris?
Quid facis in terra: si miles es regis supni celestis? Quare dominū

tuum non sequeris? Ipse enim dicit. Qui mihi ministrat me sequať: et vbi sum ego/illic ꝛ minister meus erit: Sequatur inquit non gressibus pedum: sed passibus affectionū. Apostolus quoqȝ dicit. Nemo militans deo implicat se negocijs secularibus vt ei placeat cui se probauit. Sicut ergo qui militant regi terreno omnibus iussis eius obediunt ꝛ quocūqȝ mittunť parati ꝛ prompti sunt: nulla se vxoris vel liberorum gratia excusantes: ita militē christi mandatis eius in omnibus oportet obedire/ꝛ in nullo penitus se excusare. Tu ergo qui coronā immarcessibilem victorie expectas: labora sicut bonus miles ihesu christi nulla terrene sollicitudinis cura te aggrauet: nulla carnee voluptatis mentem illecebra tangat. Nihil enim christi milite felicius: cui promittuntur regna celorum nihil laboriosius qui quottidie de vita periclitatur nihil fortius qui vincit diabolum: nihil imbecillius qui carne superatur. Non te domus auocet: non parentela impediat: non caro cōstringat. Volo te sine sollicitudine esse: vt libere cogites que dei sunt Nudus ꝛ expeditus ad celum vola: quia nudum te mater genuit nudū terra suscipiet. Ama quod non perdas: cōtemne quod tenere non preuales quere quo ineternū feliciter gaudeas. Ita viue vt mori nō timeas. Bona conscientia mortem non metuit: quia per illam se ad eterna celestis patrie gaudia venturam esse cognoscit. Habes nunc amantissime frater quod a me postulasti: habes aliqualem bone cōuersationis formulam cui imprimaris: habes sancte exhortatiōis normam ad quā sedulo possis habere recursum. Feci quod potui: non quantum volui. De reliquo viue secundum euangelium ꝛ constitutiones sanctorū patrum: in quibus omnis perfectionis christiane forma cōspicitur. Vale memor nr̄i Ex Spanhem kalēdis Aprilis. Anno dn̄i. M.cccc.lxxxvj.

Explicit libellus domini Johannis Tritemij abbatis Spanhemensis de vita sacerdotum. In crastino sancti Augustini Episcopi. Anno dn̄i. M.ccccc.iij.

$7.50